



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

322. Quis dispensare possit in promovendis vel promotis ad beneficia, quibus annexus Ordo sacer aptitudine ratione curæ, aut aliàs ex ordinatione Ecclesiæ, quo minùs teneantur eum intra annum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

alia jura de impedimento temporali, seu non diu duraturo Ordinis suscipiendi, modò tamen iustum sit, etiam si prævium, vel etiam ex culpa contractum, v. g. si in rixa promotus sit vulneratus, ut anno currente ordinari nequeat. Laym. ad c. Abbat. Arg. c. unici, ne sede vacante. in 6to. Observandum autem hic in genere, quoad pœnam illam privationis beneficii, quod qui semel ob non susceptum intra annum sacerdotium privatus fuit beneficio, non possit, etiam cum dispensatione Episcopi, iterum obtinere illud beneficium. cit. c. commissi. & Clem. ne in agro. de statu monach. apud Pass. num. 374.

5. Respondeo quartò: ceteri, etiam habentes in Cathedrali, vel collegiata seculari, vel regulari dignitates (etiam curatas. Pass. n. 406) personatus, officia, præbendas, portiones, quibus annexus Ordo, si ad eum intra annum non promoveantur, præterquam, quod moniti possent privari etiam beneficio. Abb. in c. quaris. de atat. & qualit. num. 6. Garc. p. 3. c. 4. num. 16. privantur (non quidem ipso jure, sed per Episcopum, qui etiam ad hanc pœnam infligendam procedere nequit sine solemnitate à Trid. requisita. Barb. ad c. 4. sess. 22. Trident. num. 23.) dimidia parte distributionum, (intellige propriè talium, hoc est, quæ quotidiana dicuntur, danturque illis, qui certis horis intersunt, non verò extraordinariarum, quæ dantur pro funeribus & anniversariis defunctorum. Moneta de distribut. p. 1. q. 3. Barb. loc. cit.) usque dum requisitum Ordinem receperint. cit. clem. ut in. Trident. loc. cit. etiam si horis intersint. Gloss. in cit. clem. v. intersint. Sanch. l. 7. opusc. c. 1. dub. 48. num. 7. Navar. de temp. ordin. conf. 45. imò licet altera dimidia pars non sufficiat sustentationi; hoc ipsum enim imputare debent negligentia sua. Gloss. loc. cit. v. pars. ibid. Imol. Pass. num. 377. contra Sanch. & Barb. Privantur item voce in capitulo. cit. clem. Trid. loc. cit. activâ tantum. secundum Garc. apud Pass. activâ & passivâ simul, juxta Pass. num. 380. & Less. l. 2. c. 2. n. 150. Porò pœnalis hac constitutio. cit. clementina, cum non meminerit, nisi beneficiatorum in Cathedrali & Collegiata, non extendit se ad beneficiatos aliarum Ecclesiarum. Gloss. in cit. clement. v. præbendas. Garc. in addit. ad 5. p. c. 4. n. 5. secus dicendum de Tridentino, et si loquente in iisdem terminis. cit. clement. tenent Barb. ad cit. l. Trident. num. 15. Riccius resol. 286. num. 1. ob contrariam declarationem S. Congregationis, quam refert Garc. loc. cit. cui sententia subscribit Pass. num. 379. modò authenticè constat de ista declaratione.

Questio 321. Qualiter objectus circa defectum Ordinis formari, vel etiam excludi possit?

Respondeo: ubi prætenditur totalis defectus Ordinis, verus modus justificandi objectum est, exhibere literas sive instrumenta ordinationis facta post tempus provisionis, quia cum Ordo non sit iterabilis, probatâ initiatione certo tempore excluditur quodcumque aliud tempus. Lott. l. 2. q. 47. n. 85. citans decisionem Rota 158. num. 4. p. 1. recent. ubi verò non prætenditur totalis defectus, sed Ordinem non fuisse exequibilem propter irregularitatem, eum suscipientis, objectus non constituitur aliter, quam justificando Ordinem dolosè & in contemptum susceptum. Lott. num. 87.

Unde etiam constitutio Pii II. contra malè promotos ad Ordines varias pœnas decernens locum non habet, nisi probato dolo & contemptu. Lott. n. 88. citans Navar. in man. 27. n. 155. & Rotam in aquensi irregularitatis 14. Maji 1607. Neque etiam objiciens pro justificatione objectus replicare potest, sufficere probare se incapacitatem; quia etiam collatio facta incapaci bonâ fide tenet merito jure, ut Innoc. in c. cum nostris. nu. 3. de concess. præb. Lott. num. 91. Debet præterea objectus hic concludi, ut defectus Ordinis percipiat tempus ipsum provisionis, non autem vacationis. Lott. num. 92. hinc quia simplex nominatio non tribuit nominatio jus aliquod, nil refert, quòd tempore vacationis & nominationis nominatus esset laicus, modò tempore præsentationis sit Clericus. Lott. n. 93. & 94. item in gratiis præventivis ad vacatura, si ante vacationem superveniat habitus, quæ non erat tempore concessæ gratiæ, supervenientia ista utique proderit, cum res fuerit deducta ad eum casum, à quo potuit incipere, antequam actus consummaretur. Lott. n. 95. Porò procedunt hæc simpliciter etiam, ubi contra impetransem non militat regulæ de annuali & trienniali. Neque enim etiam his cessantibus, attenditur hic objectus, si beneficiarius diu fuisse in possessione, hinc autem præsumitur sufficiens dispensatio. Lott. num. 97. citans Sarneni. ad reg. de trien. q. 10. num. 1. Ancheran. conf. 117. n. 3. licet enim tempus diuturnum nempe 10. annorum non sufficiat pro obtinendo in petitorio, sufficit tamen ad elidendum objectum, odio scilicet impetrantis, qui per impetrationem nequidem creditur habere titulum, sed simplicem actionem, seu facultatem implorandi officium iudicis. Lott. num. 98. & seq.

Questio 322. Quis dispensare possit in promovendis, vel promotis ad beneficia annexum Ordinem sacrum, aptitudine ratione curæ animarum, aut alias ex ordinatione Ecclesiæ, quo minus teneantur cum intra annum recipere?

Respondeo: cum Canonicis aliis non habentibus curam, studiorum gratiâ dispensare potest Episcopus, & capitulum. Argumento c. cum ex eo, de elect. in 6to, ibid. Laym. n. 2. & c. relatum. c. tua. de Clericis non resid. ibid. Abb. num. 6. multò que magis id locum habet in aliis beneficiis simplicibus, nisi fortè aliud mens fundatoris requisivisset, & quidem absque eo, quòd necessè sit constituere tam diu Vicarium, nisi fortè beneficium ex propria institutione requirat personale servitium. Laym. loc. cit. num. 3. Idem ex eadem causâ potest Episcopus ad septennium cum curatis. cit. c. cum ex eo. juxta Laym. loc. cit. isti tamen facultati derogatum videtur per Trident. ut vult. Pass. num. 361. ex eo, quòd statuerit Trident. conferri parochias non nisi per concursum, qui supponit concurrentes jam sufficiente scientiâ instructos, vel etiam vicus seligitur unus habens sufficientem scientiam, cui sententia inhæsi infra, ubi de residentia curatorum dici fortè possit, quòd quoad hoc ubique receptum non sit Tridentin. & obstat contraria consuetudo, vel etiam quòd concernat solas parochias, non alia beneficia curata, vel etiam, quòd licet quis sufficiente scientiâ instructus sit, possit acquirere majorem in majus Ecclesiæ emolumentum.

lumentum. Verum hoc forte oppugnat rationem adjunctam, non autem evertit decretum ipsum.

Quaestio 323. An ut quis eligatur, vel promoveatur in Pralatum, vel Superiorem regularium, necesse sit esse professum, & quidem expressè, & in eadem religione, ac ita, ut aliàs electio, vel promotio sit ipso jure nulla?

Respondeo ad omnia affirmativè. Abb. in c. cum Monasterium. de elect. n. 2. ibid. Bald. & Innoc. Barb. ad c. nullus. de elect. in 6to n. 2. & ad Trid. sess. 25. c. 21. de regular. num. 1. Suar. de relig. tom. 3. l. 6. c. 21. num. 15. Tamb. tom. 1. d. 5. q. 11. Pass. c. 25. num. 345. citans plures alios. Primum habetur c. cum causam. & c. cum ad nostram. de elect. secundum c. nullus. de elect. in 6to. putant tamen Labor. de elect. c. 16. num. 128. Abb. & Jo. And. cit. à Pass. num. 346. sufficere professionem tacitam, ut quis per postulationem, vel etiam collationem, aliàve provisionem distinctam ab electione obtineat pralaturam regularem; eò quòd cit. c. nullus. utpote pœnale extendi non debeat ultra hoc, quod sonat. Tertium habetur in clem. 1. de elect. Quartum uti & priora tria ex Trident. sess. 25. c. 21. de regul. Quod verò his canonibus constitutum de viris, idem in monialibus locum habet. c. indemnitate. de elect. in 6. Adeòque firmiter hæc tenenda sunt, ut dum in conventu vel religione non esset professus, vel professa, qua eligi possit, adhuc à nullo inferiore Papà, eo inconsulto, fieri possit, ut eligatur alia persona digna ex alio conventu vel religione, cum cit. clem. absolute decernatur cum decreto irritante, ut regularibus non proficiatur nisi regularis ejusdem Ordinis. Sigism. à Bon. de elect. dub. 87. num. 4. Suar. & Pass. loc. cit. Porro intelligenda hæc sunt, dum dicta praelectura regulares conferuntur in titulum; secus enim est, dum conferuntur in commendam, via enim commendæ beneficia secularia regularibus, & regularia secularibus, etiam si suos conventus habeant, & in eis vigeat regularis observantia, à Papaduntaxat obvenire possunt. Fagn. in c. cum ad nostram. de elect. n. 2. & seq. quod ipsum non improbat, aut prohibet Trident. quin potius tacite admittit, dum prohibendo secularibus conferri beneficia regularia adiecit hæc verba: in titulum. & quamvis sess. 25. c. 21. caverit, ut monasteriis ha-

bitibus suos conventus, qua tunc commendata reperiebantur, proficerentur regulares ejusdem Ordinis, uti & iis, qua impofterum vacabunt; ea tamen non dici præceptivè, ut tenuit Rota, sed solum cõsultivè & optativè, declaravit S. Congregatio, ut refert Fagn. num. 10. juxta quem nihilominus verè præceptivè statuit, ut qui ea Monasteria, qua sunt velut capita Ordinum (quale v. g. est Cistercium respectu Ordinis Cisterciensis) in præfenti in commendam obtinent intra sex menses religionem istorum Ordinum solemniter profiteantur, vel eis cedant, aut aliàs commendæ ista ipso jure vacare censeantur, nisi sit eis de regulari successore provisum. Vide etiam apud Eundem num. 14. quid in genere de monasteriis in commendam dandis statuerit Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 19.

Quaestio 324. Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in Pralatum religionis?

Respondeo: à Trident. loc. cit. c. 7. in monialibus requiri ad minimum quinque annos à professione, ut eligi possint in Abbatissas & Priorissas; pro viris verò neque à Trident. neque à reliquo jure communi certum tempus statutum est; quare non prohibentur (nisi alias obtent specialia statuta Ordinis) statim à professione eligi in præfules regulares, modò sufficienter in observantiis Ordinis instructi, & alias qualitates requisitas habeant. Abb. in c. cum in cunctis. de elect. num. 6. Pass. num. 348. Neque nunc casus ille, qui aliàs excipitur c. officii de elect. nimirum dum quis sit religiosus, & mox proficitur, & sic eligitur in pralatum, locum habet, cum ex præscripto Trident. nemo admittatur ad professionem, nisi post expletum annum probationis. Quòd si tamen talis tam repente à professione electus non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis; uti & si justè præsumeretur in tali ambitio, electio ejus, etiam non esset ipso jure irrita. Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 3. n. 7.) foret tamen ad minimum irritanda vi c. officii. Abb. ibid. aliisque. Pass. num. 248.

